



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 88. Eboracensis Dux in Hiberniam fugere compulsus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV. lajum Baronem obviam misit, cuius tam  
 A.C. 1458. men copiæ fusæ, fugatæque, & ipse in  
 acie trucidatus periit. Eboracensis Dux  
 primo hoc successu elatior factus, ac sub-  
 sidiario auctus milite, quem sibi Caleto  
 Varwicensis Comes adduxerat, nullo ne-  
 gotio Londinensem urbem sibi subjecere  
 sperabat. Verum cum Regina per suos  
 exploratores, quorum ubique frequens  
 ei erat numerus, de arrepto consilio admo-  
 nita esset, promissorum amplitudine An-  
 dream Trolopium a vexillis Eboracensis  
 Ducis abstraxit. Hic erat Bellidux, quo  
 magis celebrem ob rei militaris experien-  
 tiam inter ceteros suos Ordinum Ductores  
 Eboracensis Dux vix alium numerabat; i-  
 demmet quoque ob novissima fortitudinis  
 suæ specimina in nupero bello Gallico in-  
 gentem sibi conciliaverat famam; nunc  
 vero apud suos tanta valebat auctoritate,  
 ut selectiores Ducis copiæ exemplum i-  
 psius secutæ, ad regium exercitum una-  
 cum eo transirent.

## §. LXXXVIII.

*Eboracensis Dux in Hiberniam fugere  
 compulsus.*

Eboracensis tam insolita suorum defe-  
 ctione obstupefactus verebatur, ne si-  
 bi nova pararetur proditio; hinc in Hi-  
 berniam se recipere constituit, Sarisbe-  
 riensis

riensis vero & Varwicensis Comites, Sæcul. XV.  
trajecto mari, Caletum petebant. Ho- A.C. 1458.  
rum fuga pacem in Angliam revocavit,  
quæ etiam aliquamdiu ibi substituit.

## §. LXXXIX.

*Mors Arthuri III. Britanniæ Ducis,  
& Connestabilis Franciæ.*

Hoc anno ad finem declinante Francia  
sibi ereptum lugebat Artum seu Ar-  
thurum III. Britanniæ Ducem, qui idem  
Franciæ Connestabilis atque foederatus  
erat. Primam lucem aspexit Anno salu-  
tis millesimo trecentesimo nonagesimo  
tertio die vigesima quarta Augusti, Joan-  
nis V, & Joannæ de Navarra Filius se-  
cundo genitus, & vulgo Comes Riche-  
montius appellabatur, quo sub nomine  
Aurelianensis familiæ partes tuendas su-  
cepit, ac crebra fortitudinis suæ speci-  
mina dedit, præprimis vero Anno mille-  
simi quadringentesimo decimo quinto in  
pugna ad Azincourtum, ubi ab Anglis  
captus, atque usque ad annum millesi-  
num quadringentesimum vigesimum de-  
tentus fuit. Idem quamvis Gallicæ Na-  
tioni apprime addictus esset, nihilominus  
fervescientibus inter Regiæ domus Prin-  
cipes dissensionum tumultibus, Anglorum  
partibus adhæsit, eoquod ipse Rex Fran-  
ciæ unacum Regina adversus Delphi-

O o 2 num